

22,

Q. D. B. V.

ΣΥΓΚΡΙΣΙΝ ΕΤ
ΔΙΑΚΡΙΣΙΝ
HVMORVM VITALIVM

&
INDE ORTORM,
EX



DECRETO ILLVSTRIS ET GRATIO-
SISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ,

PRO LOCO

IN EADEM MORE MAIORVM IMPETRANDO,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI PROPOSIT

IOANNES ADOLPHVS
WEDELIUS,

PHIL. ET MED. DOCT. P. P. ORDINARIUS,
MEDICVS DVC. PROVINC. SAXO-VINAR.
ET CIVIT. IENENS. PHYSICVS.

A. D. FEBR. M DCC XIII.

IENÆ, Litteris KREBSIANIS.

Physiol.

63, 48

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

14.335

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



PRO O E M I V M.

Quantæ necessitatis humorum corporis humani sit consideratio , obscurum esse nequit, si ad ortum, incrementum, conseruationem & curationem eiusdem penitus respiciamus.

Ex humoribus enim oritur & augetur, iis benefice habentibus in vigore suo persistat, yitiatis vero morbolum redditur.

Morbos quoscunque fere ordinarie profligamus humores tantum corrígendo , nisi quod aliquando præterea, structuræ partium solidarum restituendæ manuum opera succurrere, sit necessarium.

Ante omnia naturalis eorum status est cognoscendus, ut & hic rectum euadat index sui obliqui. Non minimam vero huius doctrinæ partem absoluít origo humorum, quam συγκέισ & Διακέισ debebi, in præsentia ostendere constituimus.

Perspicuum vna fiet, quam concinne principia mechanica recte applicata consentiant reliquis, secus, ac vulgo id putatur. Faxit supremum Numen , ut hic labor cedat feliciter!

A 2

CAP.

CAPUT I.

De

Συγκρίσει & Διακρίσει generatim.

Nominum horum euolutionem prolixiores necessariam vix iudicamus, cum a verbo *κρίνω*, *secerno*, *discerno*, *dirimo*, ea orta esse, statim appareat, & σύγκρισιν per coniunctionem, Διάκρισιν vero per disiunctionem seu secretionem efferri commode, notum sit. Id tantum notare licet, hæc apud Hippocratem iam occurrere eadem significatione, quod ex inferius dicendis manifestum fiet. Id potius iam agendum, ut sciamus, quid per ea intelligendum sit, quo distinctius omnia proponi queant. Σύγκρισις igitur est mixtura & coniunctio particularum diuersarum, certam inter se proportionem habentium, ut inde consurgat mixtum determinatæ efficaciæ. Διάκρισις vero est separatio particularum, vel magnitudine, vel grauitate, vel alia conditione inter se conuenientium, a reliquis eandem rationem non habentibus.

Materia συγκρίσεως & Διάκρισεως sunt particulae diuersæ, ex quibus pleraque corpora tam fluida quam solida coagimentata esse, inter omnes omnino constat. Quanquam vero, ubi ad has determinandas peruentum est, in diuersas philosophi abeant partes; tamen, si rem magis quam verba aestimemus, mirifice sibi consentire deprehendimus. Non iam has disceptationes faciemus nostras, quamuis summae utilitatis foret, si remoueri ex physicis & medicis rebus ex queant contentiones, quæ vnicè a verborum, haud vero rerum

HVMORVM VITALIVM ET INDE ORTORM.

5

rerum, discrimine dependent. Nobis iam sufficere poterit, reuera in corporibus diuersa reperiri principia, quæ ob diuersam molem, figuram, motum, proportionem, mixtis variis conciliant proprietatem.

Hæc equidem fortuito quasi concursu sibi inuicem saepe commisceri vel confundi, certum est, ut in aere, aqua & terra videmus vulgaribus: sed tamen id in reliquis corporibus, easdem perpetuo affectiones habentibus, minime locum inuenit, quin potius omnia ea, quæ ingrediuntur, certa ac definita proportione sibi unita inueniantur. Ostendunt id non solum mineralia & metalla, sed euidentius adhuc vegetabilia, quæ, quamuis eadem terra, eademque aqua nutriantur, tamen quælibet sibi conuenientem, a reliquis vero diuersam partium ingredientium, proportionem & mixturam obtinent. Neque aliter in animalibus res se habet, quæ itidem in qualibet specie peculiarem, a Diuino Numinе semel destinatam, mixturam & principiorum proportionem seruant.

Sensuum testimonio hæc constant, adeoque vltiori probatione opus habere non videntur, sed potius causa, quæ id præstat, ut quælibet corporum species peculiarem sibi acquirant compositionem, inuestiganda relinquuntur. Facilior eiusmodi scrutatio fiet, si ad corporum horum ortum & augmentum attendamus penitus. Duo enim se nobis offerunt, materia, ex qua oriuntur, augentur & conservantur, & immutatio huius materiæ, qua eam mixtam & strucaturam acquirunt, qualem cuiuslibet natura postular.

Materiam, ex qua oriuntur corpora viuentia, obseruamus eandem esse, quæ corpori iam orto augmentum & conservationem præstat. Hæc vero, in vegetabilibus &

A 3

ani-

6 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΥΓΚΡΙΣΕΙ ΕΤ ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ.
animalibus in primis, ignota nobis esse non potest, cum sensibus pateant, quæ huius rei gratia in corpora recipiuntur. Videntur enim, haud quælibet ad quodvis corpus nutriendum esse idonea, sed omnes corporum species proportionatum sibi exposcere alimentum. Ita vegetabilia pleraque aqua & terra, animalium vero quædam vegetabilibus certis, quædam aliis animantibus, quædam aliis nutriuntur. Omnia vero, quæ in alimentum corporibus cedunt, mixta iamdum esse, extra controversiam est, nec nisi fluida, vel talia redditia, ad hoc negotium apta deprehenduntur. Maxime autem id quoque notandum est, ex eadem materia non solum in diuersis corporibus, sed etiam in iisdem, alia atque alia, longe inter se discrepantia, fabricari.

Mutatio materiæ, ex qua corpora fiunt, consistit in mutata mixtura partium minimarum, & deinde, si solidum inde evadere debet, in decenti structura. Per structuram hoc loco intelligimus partium minimarum, ex mixtura resultantium, talem distributionem & collocationem, ut quælibet pars corporis proportionatam sibi acquirat figuram, magnitudinem & sedem. Mutatio hæc, quam structura efficit, ad nos iam non pertinet, sed illa tantum nostræ considerationis est, quæ a mixturæ diuersitate dependet. Hæc autem fieri aliter non potest, quam si materiæ vel quædam tantum particularum componentium species certa proportione intimius remiscentur, vel omnes species alia tantum proportione coniunguntur, separatis postmodum reliquis, hanc coniunctionem non ingrediens. Igitur omnis hæc mutatio absolvitur συγκρίσεις & διακρίσει.

Idem iam olim Hippocrates affirmauit, qui I. V. de diæt. c. IV. l. 1. Ο, τη δ' αὐ, inquit, διαλέγωμαι τὸ γενέσθ, καὶ τὸ

HVMORVM VITALIVM ET INDE ORTORM.

τὸς ἀπολέσθ, ταῦτα δὲ καὶ ξυμμίσθεσθ καὶ Διακρίνεσθ δηλῶ. ἔχει δὲ ὁδό. γενέσθ καὶ διπολέσθ, τώντο. ξυμμιγῆναι καὶ διακρίθηναι, τώντο. γενέσθ, ξυμμιγῆναι, τώντο. διπολέσθ, μειωθῆναι, διακρίθηναι, τώντο. Quid vero dicam generari & perire, vulgi gratia interpretabor. Hec autem commisceri & discerni significare, declaro. Habet autem res hoc modo. Generari & perire sive corrupti, idem est. Commisceri & discerni, idem est. Generari, commisceri, idem est. Perire seu corrupti, minui, discerni, idem est, & cap. VII. t. 5. συγκρίσεως verbum adhibet, vbi in hominem irrepere partes partium, tota totorum, ἔχοντα σύγκρησιν προς καὶ ὑδαῖς, afferit.

Ita etiam Aristoteles l. I. metaphys. c. VII. τὰ μὲν γένος, ait, συγκρίσει, τὰ δὲ διακρίσις ἐξ αὐλήλων γίγνεται. quædam enim coniunctione, quædam vero disiunctione ex se inuicem, sunt.

Est autem σύγκρισις & Διάκρισις vel naturalis vel artificialis. Naturalis est, quæ in corporibus & mixtis natura- libus peragitur sponte absque humana ope. Artificialis vero est, quæ ab artifice instituitur vel dirigitur, vt obtineat corpus efficaciam talis, quæ intentioni eiusdem respon- det. Hæc in chimia maxime exulta reperitur, quæ, na- turam imitando, plurima noua mixta efficere valet. Artificialis autem, cum fundamentum in iisdem motus legibus habeat, & circa eadem corpora naturalia, varie immutan- da, occupata sit, multum lucis naturali intelligendæ adfert, modo non inconcinna argumentandi ratio adhibetur. Nam naturalem tantum σύγκρισιν & Διάκρισιν considerabi- mus, nisi forsitan quædam ex artificiali ad meliorem expla- nationem interpolenda veniant, initium facientes a συ- γκρίσει.

Σύγκρισις

DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ΕΤ ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
 Σύγκρισιν naturalem ideo fieri, ut quodlibet corpus
 affectiones sibi conuenientes obtineat, & in particularum
 certarum proportionata coniunctione consistere, ex iam
 dictis patere potest satis, quid vero faciat coniunctionem
 proportionatam, examinandum restat. Ad causam hanc in-
 ueniendam vtile est, animaduertere, quod & superius iam
 dum tetigimus, semper particulas coniungendas fluido im-
 mersas esse, vnde in naturalibus nulla σύγκρισις fit, nisi in
 fluido. Deinde nec in hoc fluido, alias eodem modo se
 habente, σύγκρισις sequitur definita, nisi in corpore hæ-
 reat apto, nec quoque in hoc promiscue, si organicum sit,
 sed in eiusdem definito spatio & loco. Sic in vege-
 tabilibus fluida tantum forma alimentum recipitur; sic
 in animalibus solidiora quidem simul assumuntur, non ta-
 men hac forma ad interiora accedunt, sed in organis pri-
 mis fluidum, quod nutriendo corpori aptum est, inde præ-
 paratur. Vnice vero in destinato & apto corpore atque
 loco σύγκρισιν fieri debitam, testantur quælibet plantarum
 genera. *Idem enim terræ succus, plantis pluribus inser-
 uiens, in qualibet planta peculiarem & aliam σύγκρισιν
 subit, imo in plantæ partibus diuersis hæc quoque alia fit,
 quod sensibus manifestum est. In animantium corporibus
 idem obscurum non est, cum nullibi, quam in hepate, bi-
 lis fiat, nec vrina, nisi in renibus, & sic porro.

Ostendunt hæc, causam συγκρισεως definitæ hæcere partim
 in materia fluidæ, in qua sit, conditione, partim in corpo-
 ris & loci, vbi hæc materia fluida hæret, dispositione. Flui-
 dum, in quo peragitur σύγκρισις, necessarium est, quia optimè
 in fluido moueri possunt partes miscendaræ, absque motu
 enim ne concipi quidem potest hæc coniunctio. Motus
 autem partium coniungendarum maxime dependet ab æ-
 there, qui motu suo proportionato impellit & varie con-
 jun-

iungit minima. Non tamen æther hic quoque, vt philosophi loquuntur, agit pro modulo actiuitatis suæ, sed pro modulo receptiuitatis, vnde minime talis intestinus motus expectandus est, nisi minima eiusmodi adsint, quæ, agitata ab æthere, in se inuicem & alia præsentia agunt. Talia vero sunt salia, sibi contraria inde dicta, acida nempe & alcalia, quæ, si sola inter se committantur, motum vehementem intestinum, qui effervescentia dicitur, efficiunt. Sin vero sulphuris sufficiens quantitas in consortium veniat, latus magis motus intestinus excitatur, qui generatim fermentatio appellatur.

Abstinuisseimus ab hoc nomine, quod haud ignoremus, id hodie multis minus arridere; sed, cum haud conuenientius adferant, & rem optime exprimat, non dubitamus eo vti. Non autem ita restringi debet huius vocabuli vis, vt ille tantum motus intestinus, vbi postmodum vel spiritus ardens, vel liquor acidus consurgit, eo indigitetur, sed potius quiuis a salibus dictis & sulphure dependens, quanquam diuersus existens diuersum effectum edat, generatim hoc nomine insigniri potest commode.

Fermentatione itaque omnis σύγκειτις naturalis fit, cum nec ullum tale liquidum, in quo ea peragitur, sine hisce salibus & sulphure reperiatur, nec motus intestinus particularum constituentium aliter fieri queat. Ut vero fermentatio fieri possit, decens proportio inter partes sulphureas & salinas intercedere debet. Copiosiores enim si sint sulphureæ, salia fere silent, nec agitantur, vnde in eiusmodi liquido fermentando semper adhuc motus salium prævallet, quanquam magis vel minus latus. Etsi autem hæc proportio inter sulphureas partes & salia perpetuo requiratur, haud exigua tamen differentia eiusmodi liquido-

B rum

10 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΙΓΚΡΙΣΕΙ ΕΤ ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ.

rum restat, quæ a proportione horum salium inter se ipsius-
quesulphuris, deinde a partium reliquarum minimarum præ-
sentia, & earundem proportione, dependet, ut hinc, sicut su-
perius dictum, cuilibet corporum speciei peculiare alimen-
tum conueniat, in hoc a reliquis discrepans.

Liquida ergo diuersa aliam particularum minimarum
proportionem habentia, quanquam simili rationesubeant
fermentationem, necessario etiam diuersum effectum exhi-
bent. Non tamen in his tantum, quod fere aliter fieri non
potest, sed etiam in eadem materia fluida, fermentatione
mediante non vna sed diuersimoda coniunctio minimo-
rum fit. Motu enim intestino non solum per se continuato,
sed etiam per motum progressuum variantem varie alte-
rato, aliæ aliæque partes ad se inuicem accedunt. Solum
motum intestinum continuatum successive aliam minimo-
rum mixturam efficere, præter alia succus vnuarum ostendit,
qui primo acerbus, acidus, postmodum dulcis, deinde vinosus,
& tandem iterum acidus sponte fit, sola fermentatione con-
tinuata, ne de fecum tartarique generatione dicamus.

Atque ita manifestum est, conditionem materiæ fluidæ, in qua sit σύγκρισις, talem esse, ut coniunctio minima-
rum partium varia facile obtineatur. Ut vero definita
hæc existat, corporis ratio & loci, vbi hæc materia fluida
hæret, efficit. Hanc corporis rationem plurimi agnoscunt,
adeo, ut aliqui eam solam fere sufficientem reputent, ne-
glecta ante dicta materiæ fluidæ conditione, in quoniam
vero consistat, minime inter eos conuenit.

Quidam existimant, in vegetabilibus totum negotium
absoluti per tractionem magneticam quasi, ut hinc quælibet
planta id tantum trahat ex terra, quod suæ naturæ familia-
re ibidem existit, atque ideo simul statuunt, inesse iamdum

in

in terra & acidum, & amarum, & dulce, & salsum, & omnigenum. Atque huic sententiæ fauere videtur ipse *Hippocrates l. de nat. hum. c. XI. t. 1. 2. 3.* Sed *Hippocrates ipsam σύγειον*, in qualibet planta definitam, per tractionem eiusmodi intelligere videtur, cuius materia, ad talem mutationem apta, ex terra in plantam recipitur. Alias enim minus locum habere potest illa sententia, cum in terra, quæ plantis nutrimentum præbet, neque amarum, nec dulce, nec salsum, nec alio modo ita iamdum mixtum, prout in planta postmodum fit, deprehendatur. Et, si vel maxime actu tale ibidem reperiatur, aliis omnigenis confusum, minime tamen adhuc talis tractio, qua, reliquis exclusis, hoc tantum admitteretur, vel explicari, vel probari potest. Quamuis enim *Hippocrates* minime talem tractionem, vt hodie explicare volunt, intelligat, sed speciem quandam pulsionis esse, *l. 1. de diæt. c. 9. t. 1.* & *cap. 14. t. 7.* manifeste declareret, neque tamen hac ratione res expediri potest.

Alii hiac ad pororum diuersitatem recurrent, quam mediante efficeretur, vt non quilibet, sed ille succus, qui definitis poris plantæ responderet, admitteretur, reliquis omnibus exclusis. Verum pori differre inter se aliter nequeunt, quam ratione vel magnitudinis, vel figuræ, vti quoque partium transcendentium differentia, respectu ad poros habito, nulla alia esse potest, quam magnitudinis & figuræ externæ. Magnitudinis igitur ratione illa tantum per poros datos transire possunt, quæ minora sunt, maiora vero excluduntur. Figuram autem pororum datorum parum vel nihil conferre ad tales diuersitatem præstandam, exinde clarum euadit, quod cuiuslibet figuræ porus non tantum eiusdem figuræ particulas transmittat, sed omnes omnino quomodocunque figuratas, modo non maiores

DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
 sint, quam per circulum, qui datæ figuræ inscribi potest,
 transire possint. Et quanquam maiores paulo, eiusdem
 præcise figuræ existentes (respectu huius figuræ tamen paulo
 minores) adhuc transitum habere queant, tamen hæc con-
 ditio summe necessaria simul requiritur, vt in transitu anguli
 particularum angulis figuræ, & latera particularum lateribus
 figuræ, exactissime respondeant, alias enim sibi ipsis obicem
 ponent.

Minime hinc quisquam, qui geometriæ elementa vel
 leuiter tantum cognita habet, adduci poterit, vt credat, si-
 milem figuram pororum, similem tantum figuram parti-
 cularum admittere, aliam vero nullam. Igitur facile pa-
 tet, quam mechanicarum rerum gnari sint, qui talia pro
 mechanicis ratiociniis & exactissimæ veritatis venditant.
 Sane si cribra atque alia eiusmodi instrumenta secretoria
 domestica accuratius adspexissent, experientia eos docuisse,
 per cribra, quorum pori quadrati sunt, minime tantum qua-
 dratas particulas transire, sed quasuis superiorem dictam
 conditionem habentes. Vt etiam circulares pori in instru-
 mentis eiusmodi culinariis, non tantum rotundas, sed cu-
 iusvis generis particulas, transmittunt. Atque in maiori-
 bus paulo eiusdem figuræ particularis minime explicare vn-
 quam poterunt, quid eas ita dirigat, vt anguli angulis, & latera
 lateribus, exacte respondeant. Igitur ex vniuersa hac hy-
 pothesi veritatis nihil remanet, quam magnitudo pororum,
 quæ tamen nullo modo sufficere poterit ad tam copiosam
 varietatem in vegetabilibus explicandam.

Cumque circumspectiores probe videant, mechanica
 eiusmodi putata ratiocinia cum exacta mechanicæ doctri-
 na haud conuenire, ad alia abierunt, & a particularum si-
 milium cohærentium successione causam συγκέντως deri-
 uari

uari posse, existimauere. Hac enim fieri sibi persuadent, ut partes similes illis, quæ in poris plantæ vel radicis hærent, ex terræ succo se adiungant, & sic partium harum co-hærentium continua successione in plantas abeant, exclusis reliquis naturæ plantæ haud familiaribus. Huic opinio-ni fauere maxime videtur experimentum a Fransc. Bayle, *Dissertat. Phys. VI. cap. XI.* pro demonstranda secretione animali, eodem penitus modo peragendæ, adductum: si aquosa, inquit, oleosis permisceantur, & velut ea separare, ad-bibitis ad filtrationem charta bibula, hanc si prius aqua ma-defeceris, quam mixturam in ipsam iniicias, quod erit aquosum in mixtura transcolabitur, retento super charsa humore oleoso. Si contra charta prius fuerit oleo saturata, quod est oleosum tralicietur per eius poros, minime vero quod aquosum est.

Vti autem experimentum hoc minus succedit, ita tota opinio infirma admodum stat tali. Quamuis enim prior experimenti pars bene se habeat, quod toto die in o-perationibus chimicis experimur; posterior tamen minime respondet. Si enim chartam bibulam ad filtrationem ad-hibitam maxime oleo imbuas, & postmodum mixturam o-lei & aquæ infundas, haud oleum, ut promittit autor, sed aqua itidem prius transibit, si illas oleosas particulas, quæ in poris filtri hæserunt, exceperis, superstite manente in charta oleo. Tentauimus id oleo oliuarum, petræ, car-uī, anisi, & semper idem euentus se exhibuit. Suspi-cantes vero, rem forte sitam esse in olei levitate, quod hæc oleorum genera aquæ supernatare soleant, oleum caryophyllorum, fundum aquæ petens, adhibuimus, sed idem plane evenit. Ipse hinc autor experimen-tum instituisse haud videtur, quod tamen hodie tam multi in explicatione secretionis humorum, probationis loco, ad-

14 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΥΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
ferunt. Iisdem hinc difficultibus hæc immersa est sen-
tentia, quibus tractio magnetica seu electiua, superius tacta,
& aliis verbis eandem fere rem denotare videtur, vt non
opus sit, plura in contrarium adferre. Eadem hæc, de vege-
tabilibus dicta, animantibus applicari solent simili ratione,
sicut & reliquis, quæ natura proferuntur, vt quodlibet
corpus ex alimento sibi destinato, dictis modis, succum tan-
tum sibi familiarem & priuatum accipere credant.

Igitur, cum dictæ corporum rationes haud ostendant,
quid vnumquodque corpus & locus, vbi σύγκρισις fit, ad
hanc conferat, vt definita & determinata euadat, alia o-
mnino superesse debet, quæ omnibus phænomenis respon-
det, & nihil supponit, nisi certum vel probatum. Nimi-
rum in eo consistit hæc corporis & loci ratio, vt eorun-
dem causa fluidi, in quo σύγκρισις fieri definita debet, vel
particularum ingredientium proportio determinate immu-
tetur, vel motus progressiuus definite in hoc vel illo loco
alteretur. Vtique autem modo fermentatio definita, &
effectus definitus seu σύγκρισις specifica vt consequatur, ne-
cessere est.

Fluidi particularum ingredientium proportio in cor-
poribus determinate immutatur, si certi quid vel addatur
vel auferatur. Certi quid additur, tam in principio sta-
tim sub ingressu alimenti in corpus, quam postmodum in
hac vel illa parte, quo sum ob structuram illius fertur. Rem
ita se habere, ostendunt quælibet corpora viuentia. In
vegetabilibus enim notum est, quodlibet semen in se con-
tinere succum definitæ & determinatæ mixturæ, idem in
plantæ cuiusque radicibus deprehendimus. Quod si ita-
que succus terræ recipiatur vel in semen, vel in radicem, ne-
cessario huic succus specificus in semine vel radice hærens
ad.

additur, atque sic talem ingredientium proportionem nan-
ciscitur, qualis in nullo aliis speciei reperitur. Idem er-
go terræ succus, succo seminis vel plantæ specifico additus,
tantam varietatem necessario subit, quantam ipsæ habent
plantarum species. Nec aliud quid in animalibus contin-
git, idem enim alimentum, quo plures animalium species
vtuntur, additione succi specifici statim in primis viis pro-
portionem aliam & definitam adquirit. Ut vero in prin-
cipio statim, vbi alimentum commune recipitur, additio
talis determinata obseruatur, ita postmodum in hac vel
illa parte corporis seu loco, vbi alia liquido ibidem existenti
proportio, quam liquor accedens habet, inducta est, simi-
lis euenit. Additio hæc definita, proportionem determi-
natam & specialem principiorum præstans, necessario etiam
fermentationem & hinc σύγκρισιν definitam efficit. Cum
vero potioris semper magis habenda sit ratio, quod hoc
loco additamentum, in corpore quovis specificum, existit,
hoc peculiari nomine generatim indigitatur, & fermentum
a quibusdam appellari consuevit, quia nempe fermenta-
tionis specificæ, & inde consurgentis σύγκρισεως specialis, cau-
sa existit. Dari hoc fermentum, nemo inficias ire poterit,
nisi succos hos speciales in viuentibus negare quis velit,
quos tamen adesse, sensus docent.

Haud itaque fermenta, vegetabilem & que ac anima-
lum, reliquorumque viuentium, profigmentis habenda es-
se, constare poterit. Nec nominis ratio inconueniens est,
cum a re nota, in hoc genere cum reliquis conuenienter,
desumptum sit. Et in hoc maxime peccare mihi videntur,
qui fermenta reiiciunt, quod peculiare liquidum & diuersum
a dictis sibi fingant, quale omnino non datur. Neque illi
rem satis intelligunt, qui vnice fluidum, post fermentatio-

nem

nem secretum, pro fermento habent. Minime etiam veritati consonum est, motum progressuum humorum in corporibus omnem fermentandi vim tollere. Nam ex pa-
lo post dicendis clarum euadet, eum, in partibus definite alteratum, potius efficere definitam fermentationem & fermentum. Haud tamen inde concludere quis potest, si semel talis liquor absque prævio fermento factus est, semper idcirco fieri posse, nulla fermentis habita gratia, adeoque fermentum, nec esse, nec usum habere. Sed huius argumenti vim vel pistorum, qui circa fermentum vulgare versantur, experientia infringere potest, nam & hoc fermentura oportet semel esse factum absque prævio alio, & tam-
en eo carere nequeunt, sed summi usus est, compendium laborum faciens. Fermento enim corporum bene se ha-
bente multo citius immutatio desiderata consequitur, quæ, non sine damno viuentis, maiori temporis spatio interpo-
fito alias fieri deberet. Fieri itaque potest absque prævio fermento materiali, unde & hoc, si debilitetur & immute-
tur, restitui iterum valet, sed non tam bene, non tam bre-
ui tempore, ut viuentis conditio requirit. Necessitatem quoque nullam videmus, cur iuxta quosdam doctrinæ de fermentis, si modo genuina sit, adiungere debeamus su-
perius reiectam opinionem de diuersitate figurarum poro-
rum. Igitur hoc faciendum illis relinquimus, qui, ratio-
nem fermentorum non intelligentes, figmentis opus ha-
bent, ut opinionem suam saluam reddant, vel saltim ad speciem probabilem. Sed, ut in viam redeamus, perspecta corporis & loci ea ratione, qua additione mediante pro-
portionem fluidi determinate immutant, illa etiam excu-
tienda est, qua aliquid aufertur, & sic quoque proportio de-
finita fluido immutando inducitur.

Ablatio

Ablatio autem hæc, dum partes certæ separantur, non potest non in reliquo fluido, ex quo definita subtractio facta est, definitam partium ingredientium proportionem relinquere. Hac vero definita existente, etiam definitus motus intestinus seu fermentatio & hinc σύγχρονος certa, præsentibus iisdem reliquis circumstantiis, absque omni dubio succedit. Subtractio eiusmodi per Διάχρονο mox expenendam peragit, quorsum differre huius explicacionem, ne idem bis dicere cogamus, consultum est.

Restat adhuc illa corporis & loci, vbi fluidum ad σύγχρονο nouam & certam aptum existit, conditio, qua eiusdem fluidi motus progressiuus hoc vel illo loco varie, sed definite, mutatur. Consistit autem hæc motus mutatione in mutata eiusdem velocitate, quæ, ab eadem vi mouente primario dependens, propter viarum & canalium, quibus vehitur fluidum, statum mutatum aliter atque alter determinatur. Succos enim vegetabilium & animalium certis canalibus & tubulis vehi, promoueri & circulari, notum est hodie. Canarium vero & tubulorum fluido repletorum status, qui velocitati mutationem adferre potest, provenit in primis a capacitatem eorundem variis in locis differente. Hac enim velocitas liquidi eo in loco, vbi canalis vel tubus amplius habet spatium, ita mutatur, ut tardior ibidem sit, & quidem eo magis, quo maius illud est. Fluidorum hanc naturam cernere licet in piscinis, aliisque aquæ receptaculis, affluens enim aqua per angustiorem canalem velocius mouetur, in piscina vero, vel receptaculo, tam lentus est motus, ut percipi nequeat, moueri tamen, effluxus aquæ, eandem velocitatem in canali angustiori exhibentis, ostendit. Non tamen necessarium est, ut amplius spatium unico tubo comprehendatur, cum idem sine dubio effe-

C

ctus

18 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΝΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
Etus sequatur, si eiusdem tubi liquor in plures tubos, qui
coniunctim amplius absoluunt spatium, quam ille continet,
simul distribuatur. Plures enim tubi angustiores simul
sumpti æquales sunt vni ampliori.

In quoconque igitur corporis loco talis structura tubu-
lorum succum vehentium adest, ibi etiam motus progressiuus
tardior, & quidem pro proportione ea, quam spatium hoc
habet ad capacitatem tubi aduehentis & evehentis, defini-
tus reperitur. Tubus evehens si vel æqualis vel maior sit
tubo aduehenti, tunc velocitas in ampliori spatio gradum
suum acquirit a proportione inter hoc spatium & tubum
aduehentem intercedente; sin vero tubus evehens minor
sit aduehenti, ab evehentis proportione ad amplius spa-
tium velocitas dirigitur, ut eo tardior in hoc sit, quo ille
minor. Talem vero positum ac situm horum canarium &
tuborum semper esse necessarium, ut quævis spatia repleta
permaneant, per se patet, cum alias proportio non capa-
citatris canalis per se, sed spati repleti tactum, esset respi-
cienda. A velocitate autem definite mutata motum inte-
stinum liquidi etiam definitum reddi, dubitari nequit.

Absque probatione sufficienti ergo quidam affirmare
conantur, in viuentibus, in primis animalibus, fermentatio-
nem, ob motum progressuum continuum, locum habere
non posse. Fermentationem enim consistere in motu in-
testino principiorum, superius dictum fuit, hanc vero non
tolli vel impediri semper per motum progressuum, ex eo
patere potest, quod hoc ipsa minima semper simul agiten-
tur. Nec quorundam liquorum fermentationem per talem
motum impedita id euincere potest, nisi a particulari ad
vniuersale concludere velimus. Imo, nec in his quoque
motus progressius fermentationem impedit, si tantum
pro-

proportionatus esset. Vnde potius id ostendit, motum progressuum mutatum mutare fermentationis rationem, quamque definitam simul reddere. Hinc dantur etiam fermentantia & ad oculum exhiberi possunt, quæ, quo magis agitantur, eo magis fermentescunt. Quoniam itaque in viuentibus motus progressiuus, s' ob structuram elegantissimam, in toto non solum proportionatus redditur ad effectum debitum edendum, sed etiam in partibus his illis, ubi aliis velocitatis gradus erat necessarius, simplicissima sed genuina adducta ratione mechanica definito modo alteratur, idcirco fluidum recte constitutum accedens necessario fermentationem & immutationem definitam in eo loco subit. Cumque fluidum in loco definito sic immutatum existens, per superius dicta, ipsum fermentum eiusdem partis materiale sit, sponte appareat, originem eiusdem esse mechanicam. Tantum hinc abest, ut fermentorum doctrina genuina contraria sit principiis mechanicis, ut potius ex iisdem fluat & deriuanda veniat. Neque enim sic latere amplius potest fermenti cuiusvis materia, causa, locus, tempus, admixtio & effectus.

Mirum vero videri potest, cur velocitatem certis in locis definite mutantam potissimum a capacitate & spatio viarum & tuborum differente prouenire dixerimus, cum plura omnino concurrere videantur, & ab autoribus referantur. Sic in tubis distantiam loci variam a principio mouente variam efficere velocitatem, sibi persuadent multi, ita ut, quo propius absit locus ab illo principio, eo etiam velocitas ibi sit maior, quo remotius vero, eo minor. Gratis vero id asseritur, nec experimento nec ratione probari potest unquam, quibus potius contrarium euincitur. Uniformis enim tubus si recipiatur vitreus, per quem fluat

C 2

aqua

20 DİSSERTATIO MEDICA DE ΣΥΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
aqua impurior & filamentis scatens, semper obseruabimus in
quibuslibet locis huius tubi æquali velocitate filamenta
cum aqua promoueri, nec eam in eo loco, qui vicinior est
principio mouenti, augeri, nec in eo, qui remotior est,
minui.

Nec aliter id fieri posse, sana ratio dicitat. Ea enim
pars fluidi, quæ principio mouenti proximior est, promo-
ueri plane nequit, nisi simul eodem momento omnes par-
tes in tubo remotiores promoueantur, non enim haberet
spatium, quorsum moueri possit, nisi penetrationem corpo-
rum admittere velimus. Si vero omnes remotiores fluidi
partes in tubo eodem tempore per æquale secundum omnes
dimensiones spatium propellantur, necessario eandem ve-
locitatem habebunt, quam pars illa principio mouenti pro-
ximior. Per æquale autem tale spatium tunc omnes
moueri debere, capacitas tubi vbique æqualis probat. Evi-
dentissime hinc constat, vniiformem velocitatem fluidi in
quocunque tubi vniiformis loco existere, nec eam variari a
distantia maiori vel minori a vi mouente. Quod si autem
tubus inæqualis, id est uno in loco amplior, alio vero angu-
stior sit, velocitas quidem in eo varie mutatur, non vero
pro distantia varia a vi mouente, sed pro huius capacitatis
conditione, ut paulo ante explicauimus. Hinc, si capacior
sit tubus prope principium mouens, etiam ibi velocitas mi-
nor occurret, & in remotori loco existens angustior velo-
citatem maiorem præbebit, & contra.

Quidam etiam varietatem velocitatis variorum tubi
locorum querunt in varia eiusdem flexione, & vario pa-
rtium flexarum situ. Vbi enim ob hanc causam varias cur-
uas variosque angulos facit tubus, ibi existimant velocita-
tem immutari, ut hinc pro ea determinanda angulorum
men-

mensuram & curuarum naturam cognoscendam utilem iudicent. Verum alias quidem angulorum mensura, curuarumque proprietates, immensam utilitatem habent, in hoc vero negotio parum conferre possunt, cum minime inde in tubo varietas velocitatis eueniat. Tubus enim vel ubique eiusdem, vel in quibusdam locis diuersæ, est capacitas. Si eiusdem ubique, etiam uniformem velocitatem fluidum in illo motum habebit, ob easdem rationes ante dictas, non obstantibus complicationibus, angulis & curvitatibus quibuscumque. Etenim ea est fluidorum natura, ut, si premantur, vim suæ pressionis exerceant in quamlibet loci differentiam, illucque tendant, ubi nulla vel minor est resistentia. Sin vero in quibusdam locis vel angustior vel amplior sit tubus, ibi velocitas per superius allata definite mutabitur, nihil tamen differentiæ etiam hoc in casu ab angulis vel flexionibus diuersis accedet. Non itaque est, quod tam sollicite angulos & curvas tuborum eiusmodi scrutemur hanc ab causam.

Cum igitur ex hactenus adductis certum sit, in corporibus viuentibus certisque eorundem locis materiam fluidam, in qua σύγκρισις fieri debet, non solum definitam principiorum proportionem, sed etiam definitum motum intestinum fermentatiuum, partim ab ipsorum principiorum proportione, partim a motu progressivo definito dependentem, accipere, dubium superesse nullum potest, quin definita & cuilibet viuenti conueniens minimorum coniunctio ita fiat. Quoniam autem non omnium, sed certorum tantum, minimorum huius fluidi coniunctio intimior fit, emergentes ex hac miscela unitæ particulæ minimæ reliquis adhuc laxius remixtæ permanent, donec postmodum per Digestionem solæ habeantur.

DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
 Διάκρισις itaque adhuc consideranda est, quanam ratio-
 ne in naturalibus perficiatur, cum non tantum ad propor-
 tionem principiorum in liquidis determinandam, sed etiam
 ut, quæ per σύγχρονη definite coniuncta sunt, sola obtinean-
 tur, faciat maxime. Διακρίσις naturalis species frequen-
 tissimæ & potissimæ sunt, quæ magnitudinis & grauitatis
 diuersitatem habent pro fundamento. Cumque nostræ
 præsenti satis faciant intentioni, illarum etiam tantum hoc
 loco habebimus rationem. Magnitudinis diuersæ parti-
 culæ a se optime & facillime separari possunt per corpora
 poros definitæ & æqualis magnitudinis habentia, quod &
 cribra vulgaria atque filtra docere possunt. Pororum horum
 magnitudinem sufficere, nec figuræ selectum esse necessa-
 rium, ex supra dictis constat. Nec difficile est intelligere,
 omnia minora existentia transitura esse, maiora vero re-
 mansura.

Hoc autem monere vtile videtur, hoc modo separari
 vnice posse, quæ actu minora sunt, & maioribus tantum
 confusa, non vero intime connexa. Nec quoque præter-
 eundum est, illa etiam ad minora eiusmodi referenda esse
 liquida, quorum partes minimæ laxius sibi cohærent, si
 comparentur cum iis, quorum minima firmius paulo con-
 nectuntur. Si hinc talia sibi permixta, non vero vñita, sint,
 illud liquidum prius transibit, cuius minima laxiorem ha-
 bent connexionem. Atque hæc causa esse videtur, cur ex
 mixtura aquæ & olei, si filtro indatur, aqua semper præ-
 cedat, retento super charta oleo. Quamuis enim alias v-
 terque liquor, si seorsim infundatur, per eosdem filtri po-
 ros transeat, ille tamen, qui facilorem habet transitum, an-
 teuertet alteri tardiorem vel difficiliorem ob dictam fi-
 miorem connexionem habenti.

Secre-

Secretiōnem talem per poros motus progressiuus, sine quo quibusdam in casib⁹ fieri nequit, multum facilitat, quia sic partes maiores transitum non inuenientes a poris minoribus remouentur, minoribus vero accessus facilior paratur. Atque hac ratione in viuentibus, in primis animalibus, s̄epissime Αέριοι fit, vt vel id, a quo aliquid separatum est, debitam principiorum proportionem adquirat, vel illud, quod separatur, seorsim suos usus definitos præstet.

Ea Αέριοι, quæ a grauitate dependet, fit ob grauitatem particularum diuersam vel in se vel ratione aeris. Illa fit in subsidentia partium grauiorum, qua ex reliquo fluido quædam partes grauiores secedunt & fundum petunt, vt feces vini &c. Hæc vero, quando quædam partes vel a motu intestino, vel calore extraneo, ita diuiduntur & subtiles redduntur, vt leuiores aere euadant, & hinc etiam ab hoc vaporis vel exhalationis forma eleuentur, & a reliquis remoueantur. Huic etiam non raro coniungitur, vel præcedit, Αέριοι per poros facta, vt sic eo magis specifica & proportionata reddatur, & tunc transpiratio dici conseruit, quæ in vegetabilibus & animalibus maxime occurrit. Quæ vero per Αέριον ita definitis in locis corporum separantur, præparata prius ad secretionem eiusmodi sunt per οὐγεῖον definitam, qua definitæ partes in liquido sibi vniuntur, quæ vnitæ a reliquis, coniunctionem non ingredientibus, differunt vel magnitudine vel grauitate. Fluidum itaque hoc ex partibus ita differentibus constans Αέριον subit definitam in organis & corporibus dicto modo constitutis. Patet vero una, in ipsa οὐγεῖον fieri simul quandam Αέριον, cum aliæ partes vniendæ a reliquis secedant, quia tamen cum reliquis adhuc confusæ & sub-

24 DİSSERTATIO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
sub vnius fluidi specie permanent, potioris seu συγκρίσεως
magis habetur ratio. Adeoque tunc demum Διάκρισις
καὶ ἐξοχὴ dicitur; si plane a se inuicem remotæ sunt dictæ
partes, ut quælibet seorsim existant.

CAPVT II.

De Συγκρίσει & Διάκρισει Humorum Vitalium.

Acilius iam cognoscere licebit, quanam ratione humores diuersi in animalibus & corpore humano in primis orientur & conseruentur. Hos vero in duas classes diuidemus, vt vna contineat humores vitales, altera vero inde ortos, de illis primo acturi. Humores vitales vocamus, quibus viuimus & nutrimur, & sunt vel immediati, vel mediati. Immediati sunt sanguis & serum coniunctim massam sanguineam constituentes, mediatus autem est chylus, ex quo sanguis & serum fit. Chyli itaque συγκρίσιν & Διάκρισιν primo explicabimus, eundem seruantes ordinem, qui in corporibus videtur, ex alimentis enim chylus, ex chylo vero sanguis, conficitur.

Materia, ex qua chylus præparatur, sunt cibus & potus, qui determinatum alimentum corporis mediatum & pri-
mum constituunt. Non hinc quælibet apta sunt ad tale
alimentum, sed ea, quæ partes aqueo-sulphureas corpori
proportionatas copiosius in se continent, salium vero ta-
jem tantum proportionem, vt haud emineant, sed tantum
sulphur aequent; vti & terrearum particularum minor quan-
titas

tas in illis requiritur. Alimenta itaque definitam & proportionatam principiorum quantitatem & mixturam habentia absque omni dubio, si extra corpus per minima soluantur, motum intestinum seu fermentationem ob salia in se inuicem agentia intermedio sulphure subibunt, minime tamen inde fiet chylus. Multo minus sola solutio minimorum, quomodolibet instituta, extra corpus tales liquorem efficiet, siue solutio fiat vi liquoris coniuncti, siue quacunque attritione. Et, si vel maxime liquor albicans ex parte similis chylo inde reddi posset, nunquam tamen per omnia similis euader. Certum igitur est, alimentum ad mutationem quidem aptum esse, minime tamen vñquam definitam acquirere, nisi in corpore eiusque definito loco; atque hinc ex eodem alimento in diuersis animalibus non idem, sed diuersus, chylus præparatur.

Cum autem nulla arte ex alimentis iisdem, quæ in corpore quovis chylum præbent definitum, talis definita σύγκεισις particularum chylum constituentium obtineri queat, dubium haud est, quin maximum momentum in corporis & loci, ubi toto die tam expedite præparatur, conditione situm sit. Hæc itaque maxime cordi habenda est, si chyli σύγκεισιν intelligere velimus. Superius autem diximus, corporum hanc conditionem ex parte in eo consistere, ut particularum ingredientium proportio determinate immutetur, vel additione vel ablatione. Additio etiam hic specifica proportionem determinans videtur, cum non solum in ore statim cibis solidioribus, qui masticatione commununtur, saliuæ addatur, & intimius remisceatur, sed etiam in ventriculo lymphæ e glandulis eiusdem scaturiens coniungatur, imo in intestinis bilis & lymphæ accedat. Si ne hæc additione nunquam chylus consurgit definitus, ade-

D

oque

26 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΡΑΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
eque alimenta communia cum dictis liquoribus in corpo-
re coniuncta & mixta fluidum demum adæquatum consti-
tuunt, in quo σύγκρισις chyli peragitur.

Facile autem simul patet, cur in aliis animalium spe-
ciebus, imo in eiusdem speciei subiectis diuersis, chylus non
idem plane, sed diuersus, generetur. Nam si addenda va-
rient inter se, quamuis vni eidemque rei addantur, sem-
per inde proueniens diuersum erit. Cum vero lympha &
bilis in diuersis subiectis eiusdem speciei, imo in eodem
subiecto diuerso tempore, multo magis vero in diuersis spe-
ciebus varient, necessario compositum ex his & eodem ali-
mento variare debet. Fluidum itaque hoc cum additione
& coniunctione dictorum liquorum aptum reddatur, ut
specificus motus intestinus seu fermentatio inibi consurgat,
qua σύγκρισις particularum, quæ coniunctæ chylum consti-
tuunt, determinata fiat, ipsi hi liquores fermenta a quibus-
dam vocati sunt, ita ut saliuæ ex ore & lympha e glandulis
ventriculi proueniens fermentum ventriculi, bilis, succus
pancreaticus, & lympha ex intestinalium glandulis proueni-
ens intestinalium fermenta audiant. Ex hoc autem mani-
festum est, nullum adhuc fictum fermentum hic occurrere.
Sed fœsan ideo hoc nomen inconueniens putatur, quia
existimant, in chyli præparatione nullam occurrere fer-
mentationem; sed hac etiam chyli σύγκρισιν fieri clarum
euadet. Eleganter Tb. Corn. Consentinus Progymnasm.
Physic. VI. de nutricat. p. m. 235. Ad hunc igitur modum, in-
quit, digestus in ventriculo cibus fermentescere incipit; nimi-
rum hæc una est precipua esca ad mutationem via, fer-
mentatio. Neque id putemus esse iuniorum tantum. Et preser-
tissim chymistarum commentum: cibos enim in ventriculo dum
conficiuntur fermentari, scriptum est in libro de prisca medi-
cina,

cina, qui tribuitur Hippocrati. Evidem constat, ea omnia, quibus animantes aluntur, suapte natura ad fermentescendum esse apta; quin illa in ventriculo facilius subigi, que promptius fermentantur. Reperitur autem hæc sententia in Hippocr. de veter. medic. cap. 20. t. 7. 8.

Ne vero sola autoritate moueri videamur, res ipsa id euincit. Chylus enim constat particulis sulphureis & aqueis copiosioribus, salinis vero & terreis paucioribus, debita tamen quantitate coniunctis & vnitis. Hoc ostendit non solum chyli & similium liquorum resolutio, sed etiam a priori similium ingredientium coniunctio. Partes vero hæ nec in alimento nec in humoribus additis tali proportione coniunctæ reperiuntur. Hoc enim si es- set, vel solutio, vel communutio, & attritio sufficere possent. At vero noua coniunctio est necessaria, ut partes minimaæ constituentes ad se ratione determinata accedant. Id autem fieri nequit nisi motu intestino, hic vero non solam externam sed internam quoque causam postulat. Interna causa, ut superius diximus, in salium & sulphuris propor- tione consistit, quia reliqua principia ad motum intesti- num concitandum minus apta sunt. Ergo in fluido, ex aliamentis & liquoribus additis composito, per fermenta- tionem determinatam solam σύγκρισης harum partium de- finita obtinetur.

Non tamen sola hæc fluidi minima, quæ decenti & definita proportione inibi hærent, determinatam fermentacionem absoluunt, sed simul accedit motus ætheris proportionatus, & ipsius huius fluidi motus progressius deter- minatus, qui cum illis coniuncti efficiunt, ut hæc & non alia σύγκριση fieri queat. Motus ætheris proportionatus ca- lori sanguinis arteriosi ventriculi, viscerumque adiacentium,

debetur. Vnde vel nimius existens in febris, vel debilius in cachexia, fermentationem non conuenientem sed cessantem fere in ventriculo efficit.

Progressiuus motus liquidi alimentosi ita decenter determinatur, vt ea, quæ assumuntur subinde, omnia cito deglutitione per oesophagum descendant, & in ventriculo capacitatem sufficientem ideo habente colligantur, ibidemque moram proportionatam trahant, vt resolui, extrahi & fermentari queant definite. Hæc omnia simul iuuantur motu eiusdem peristaltico, quo postmodum etiam ad intestina successiue propellitur, in quibus motus fermentatiuus inchoatus ulterius continuatur, accedente bile, succo pancreatico, & lympha ex glandulis intestinalibus. Bilem vero chylo commisceri, eiusque dulcedinem ac fluxilitatem augere, plurima experimenta euincunt, & ipse eius afflatus in principio intestinorum statim contingens hanc utilitatem reddit probabilem. Ulterius autem per intestinorum canalem corundem motu peristaltico successiue prouoluuntur contenta, vt & fermentatio continuetur, & $\Delta\lambda\kappa\mu\sigma\tau\varsigma$ chyli iam perfecti consequatur.

$\Sigma u y \chi \varepsilon \iota \sigma \delta$ enim chyli per fermentationem ita determinata facta, reliquis adhuc ille immersus est, a quibus separari debet. Dum in ventriculo adhuc massa ita præparata hæret, quedam $\Delta\lambda\kappa\mu\sigma\tau\varsigma$ per evaporationem fit, vt ad intestina partes volatiliores perferantur, & ibidem in vas a lactea recipientur. Perfecta tamen magis $\Delta\lambda\kappa\mu\sigma\tau\varsigma$ chyli fit filtratione. Vasorum enim lacteorum orificia tenuissima, secundum longitudinem intestinorum tenuium disposita, in se recipiunt chylum, exclusis reliquis particulis, quæ ob magnitudinem intrare haud possunt. Et, vt omnis chylus sic separetur, tanta longitudine intestinis concessa est.

Iuuat

Iuuat vero transitum chyli motus peristalticus intestinorum, ut valuulae horum connuentes efficiunt, ne nimis cito præterlabatur massa.

Ita igitur σύγειος & ηλέκτης chyli peragit, & ad illam nihil requiritur, quam ingestorum præparatorum blanda, definita, & vitalis fermentatio, qua absque violencia solutio & agitatio minimorum sit, ut definita proportione quædam sibi coniungantur & chylum constituant. Haud itaque fermentationis rationem intelligere videntur, qui fermentum ventriculi aquam vel liquorem Stygium esse debere contendunt, si solutionem & coctionem ciborum præstaret. Quo vno inconuenienti admisso facile plura accedunt, hinc vrgent, vt causa adferatur, cur soluens ventriculi liquidum coquensque cibos non etiam solueret conqueretque ventriculum ipsum, qui ipsis concoctu haud sit difficilior.

Verum Stygio tali liquore ad hanc fermentationem haud est opus, qui potius fermentationem impediret & tolleret, vnde saliuam & lympham ventriculi blandam esse, nec acrimoniam eminentem habere, omnes adserunt, & sensus testatur. Nec talis solutio, quam sibi fingunt, in ventriculo occurrit, putant enim ingesta ita solui debere, vt aurum ab aqua regia, vel metallum aliud ab aqua forti, ita vt tantum fluida reddantur, non vero immutentur. Alia hic solutio non est necessaria, quam vt sulphureæ partes laxentur, vt salinæ in alimentis occurrentes in se inuicem & reliqua agere queant, tunc enim sponte reliqua soluuntur & in motum fermentatiuum concitantur ab æthere.

In tali solutione speranda vel timenda ventriculi, in quo peragit, dissolutio non est, quæ ne quidem contingret, si is vita careret, nedum hac præsente. Sin vero ita-

30 DİSSERTATİO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
aptetur, ut vitam exuat, coctione extra corpus præpare-
tur, masticatione comminuatur, & debito in loco asserue-
tur, itidem eiusdem dissolutionem subsequi, nemo nega-
uerit. Denegatis vero his circumstantiis miraculum sane
foret eius dissolutio, ut facile perspicit, qui vel leuiter ra-
tione vti legitime didicit. Nec etiam vasorum sanguife-
rorum coctio & solutio a vitali lympha expectari debet,
non enim vis fermenti in violenta solutione, sed in excita-
tione & directione motus intestini fermentatiui consistit, si
coniungatur cum corpore vel fluido ad talem præparato
& apto. Hoc enim absente nec in ventriculo aliquid effi-
cit, nec ab alio efficitur.

Nolumus iam occupari in consideranda Erasistrati
denuo resuscitata opinione, qua atteri cibum in ventre pro-
ponunt quidam. Mechanica enim quamuis videatur ex-
plicandi ratio, adeo tamen crassa est, vt longissime ab ele-
ganti & subtili corporis mechanica recedat, vt omnibus
patet, qui mechanicarum rerum delitiis genuinis delectan-
tur. Nec reliquos nunc morabimur, qui aliam de hoc
negotio sententiam fouent, cum vel aliis verbis idem adfe-
rant, vel ex ingenio, haud vero natura rei, hypothesin
struant.

Pergemus potius ad ulteriore chyli immutationem,
ex quo sanguinem & serum fieri, concedunt omnes, quan-
quam modum diuersum adducant. Mutatio chyli in mas-
sam sanguinem alio modo fieri haud potest, quam noua
συγκέντρωσις, quæ sine motu intestino etiam hoc loco non per-
agitur. Cum enim massa sanguinea ex sanguine proprie-
dicto, seu parte rubicunda, & sero constet, chyli partes mi-
nimæ itidem certa proportione vniri & coniungi debent, ut
duplicis generis hic liquor inde emergat. Chyli vero
homo.

homogenei existentis partes minimæ a se definite secedere, vel sibi coniungi, aliter quam per motum intestinum fermentatiuum minime poterunt, in primis cum elementa fermentationi apta in se contineat.

Vt vero in definita hac materia σύγκρισις dicta fiat, loci, vbi peragitur, constitutio facit. Per vasa lactea enim & ductum thoracicum comitante lympha sanguini chylus affunditur & ad cor perfertur. Additione hac novum compositum emergit ex sanguine & chylo, & motus etiam intestinus mutatur, quod ex pulsu tunc alterato aliisque cognoscitur. Et quoniam sanguis, cui additur chylus, motum fermentatiuum proportionatum in primis præstat, sanguis ipse spiritibus fœrus fermentum hoc loco constituit. Nondum tamen hæc sufficiunt ad fermentationem definitam & exactam præstandam, cum & motus progressiui diuersitas varietatem inferre possit. Sed & hoc loco is definitus a corde dependens deprehenditur, semel enim sanguini illatus chylus eodem motu cum sanguine circulatur, vt hinc amittat nomen & naturam chyli, sanguinis accipiens. Dum enim sanguini intimius remiscetur chylus, tam a calore eiusdem actuali & motu intestino, quam conquassatione & propulsione in corde, & transitu per reliqua viscera ita definite mutatur, vt σύγκρισις conueniens fiat, & in serum ac sanguinem abeat. Perfectionem vero ulterius acquirit & proportionem decentem massa sanguinea, *Algenplor* variorum fluidorum diuersis in visceribus facta, quorum quædam utilia sunt, quædam inutilia, & ideo excernenda.

CAPUT

CAPVT III.

De

*Συγκρίσει & Διακρίσει Fluidorum
Ex Vitalibus Ortorum.*

Fluida ex humoribus vitalibus seu massa sanguinea orta duplicitis generis esse reperiuntur, vel enim actu ibidem ea forma existunt, quam post secretionem habent, ut tantum sola Διακρίσις seu separatione opus sit ad ea obtainenda, vel noua συγκρίσις prius in hac vel illa definita parte fabricantur, & deinde per Διάχυσιν secernuntur. Ex illo genere sunt spiritus animales dicti, seu iuxta alios fluidum nerueum, lympha, saliuæ, succus pancreaticus, transpirationis materia & sanguis menstruus: ex hoc vero bilis, semen, vrina, pinguedo, medulla ossium, & similia. Illa fluida in massa sanguinea iamdum hærentia sola fere filtratione seu secrezione per poros minores ex massa sanguinea separantur, partes enim, in quibus separatio contingit, ita constructæ sunt, ut ex accedente per arterias sanguine in poros minores transeat subtilius existens, progrediente interim per vias ampliores sanguine. Arteriæ enim extremæ ita iunctæ sunt venis, vasis lymphaticis & in partibus iis, ubi excernendum & separandum ex sanguine est quoddam fluidum, ductibus proportionatis, ut, dum sanguis ex arteriis ad venas propellitur, tenuius ipsi confusum fluidum in angustiores meatus simul promoueatur, in quos crassiora penetrare nequeunt.

Atque hac ratione spiritus animales in cerebro separantur,

rantur, extremitates enim arteriarum per meningem tenuem dispersae corticem cerebri una cum venis respondentibus constituunt, simul tamen fibris cerebri medullaribus connectuntur ita, ut ex illis in has aditus pateat, transiens hinc sanguis dimittit in dictas fibras angustiores fluidum spirituosum, per venas interim redeunde sanguine. Fibris autem medullaribus receptum per nervos, qui continuationes illarum sunt, ulterius distribuitur. Spiritus enim animales non differre a vitalibus, nisi quod hi sanguini adhuc commixti illi vero separati sint, aliunde natura est. Vitales vero una cum sanguine generantur, sunt enim eiusdem pars subtilissima & actiuor, qua absente sanguis non est sanguis, sed crux.

Haud absimilis est separatio, lymphæ, saliuæ, succi pancreatici & aliorum humorum serosorum maxime inter se conuentientium, sanguis enim in glandulis, vel alias in arteriarum extremis, motu suo in venas pergens serum per poros, quos orificia vel ductuum excretiorum, vel vasorum lymphaticorum, constituunt, proportionatos dimittit. Si vero inter hos liquores lymphaticos ~~quædam~~ leuis differentia intercedat, ea vnde proueniat, ex infra dicendis cognosci poterit. Lympham autem in sanguine ita iamdum hæcere, ut mera separatione segregari possit, ipse sanguis venæ sectione emissus ostendit, sponte enim in duas has secedit partes.

Transpirationis materiam serum esse, nemo inficias ibit, huic vero immersæ partes magis exhalabiles quæcumque simul sic separantur & excernuntur. Per glandulas subcutaneas enim humor hic ob pororum paruitatem secernitur, & a calore tam interno quam externo eleuatur & dissipatur. Copiosiore autem secretione hac facta vel ob seriem maiorem fluxilitatem, vel ob pororum maiorem apertitionem, sudoris forma exire consuevit.

E

Men-

34 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΡΑΠΤΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ

Menses cum a reliquo sanguine non differant, nullus diauxis est opus, sed ipse sanguis onerosus existens certo statoque tempore excernitur per extremitates vasorum uterius tunc magis apertas. A quanam causa id contingat, huius loci non est, inquirere. Atque in eo plerique consentiunt, quod hac ratione humorum dictorum separatio in viuentibus ac in primis in homine contingat. Reliquorum autem secretio quomodo peragatur, minime inter se conueniunt. Nos, quæ rei ipsi congrua deprehendemus, quæque ex ipsa humorum & corporis constitutione ad explicationem hanc facientia se nobis offerent, obseruabimus.

Si consideremus humores hos secretos, & comparamus cum ipsa massa sanguinea, manifestum est, illorum quidem principia seu particulas minimas in hac contineri, eum de novo in corpore non siant, sed tali proportione coniuncta in sanguine quouis haud reperiri. Hinc nec bilis, nec urina, in sanguine sano extra locum debitum existit, quanquam earum elementa ibidem haereant.

Statim itaque ex his clarum est, nec pororum figuræ diuersas, quas superius plane frustra allegari diximus, nec solam diametri varietatem sufficere posse ad liquidæ eiusmodi separanda, quæ nondum adsunt. Et, si adessent, & pororum figura diuersa vel maxime alias selectam secretionem efficere valeret, nihil minus tamen in his organis fieri posset. Certa enim figura & varia in durioribus alias habere locum potest, haud vero in canalibus & tubulis ex molli & in omnem figuram flexili materia constantibus. Tales enim tubuli a liquido quoconque æqualiter expanduntur, ut extremitas eorum nullam nisi rotundam figuram inde accipiat, siue immixtum quoddam solidum fingatur, modo non maiorem diametrum habeat, etiam talem figuram assumet canalis, difficillimo liceat & maxime impedito

tran-

transitu tunc contingente. Diametri pororum igitur varietas hic tantum concurrit, non autem absque reliquis conditionibus, ex quibus præcipua simul est, ut actu & tali forma in fluido remixtum hæreat, quod ita secerni debet. Non enim pororum varia diameter facere diversa liquida, sed secernere iam facta tantum potest.

Fieri itaque prius & præparari debent humores, quam separentur. Fiunt vero & præparantur ex variis particulis in sanguinis massa diversimode pro cuiusvis fluidi natura coeuntibus, uno verbo σύγκεισις definita. In ipsa autem massa sanguinea σύγκεισις hanc fieri, multa docent. In vena portæ enim bilem amaricantem præsentem iam deprehendere licet, quod tum alii obseruarunt, tum *Tb. Cornel. Consentinus l.c. p. 265.* qui & sanguinem hepatis refluum in vena caua amaritiei prorsus expertem esse, addit. Sic quoque excretione bilis per ductus suos quamcunque ob causam impedita, ea in sanguine ita accumulatur, redditum sanguine in venam cauam facto, ut aliis in locis excernatur. Ita in pertinaci & calculo facta ischuria vrina in renibus præparata loco destinato excerni non valens regurgitat, ut etiam, saliuam aliasque humores simili odore & sapore infecisse, obseruata fuerit. Hæc autem fieri non possent, si extra massam sanguinis eiusque vasa generatio horum humorum contingat.

In massa sanguinea ergo σύγκεισις hæc fit, sed non ubique & in tota, verum definito certoque loco. Certas hinc partes certaque viscera pro quolibet humore conficiendo & separando fabricauit & ordinauit sapientissimus creator. Hinc bilis tantum in hepatे, vrina tantum in renibus, semen tantum in testibus, lac tantum in mammis, alias vero nullibi in corpore conficitur. In his partibus particularum in sanguine existentium coniunctio congrega-

E 2 quoque

36 D^{icitur} DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΡΚΡΙΣΕΙ ET ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
tioque determinata consurgit, prout quilibet postulat.
Hæc autem ab intestino motu seu fermentatione definite,
mutata itidem dependet, quia haud ita confusæ tantum
partes minimæ, ad coniunctionem hanc pertinentes, in
sanguine hærent, sed partim sanguini partim sero intimius
immersæ sunt, vnde liberantur fermentatione, & aliter con-
iunguntur, hac restricta & definita reddita.

Determinatur hæc fermentatio seu motus intestinus
partim a proportione ipsius sanguinis accedentis definite,
mutata, partim a velocitate sanguinis in his partibus spe-
cifica. Proportio ipsius sanguinis accedentis mutatur vel
ablatione vel additione particularum. Ablatione particu-
larum mutatur sanguis, qui ad hepar pro bile separanda
ad fertur, cum non ex arteria sanguis in hepar recipiatur,
sed per venam portæ, quæ magna lymphæ parte orbatum
ex liene, pancreate, mesenterio, omento, ventriculo ad fert.
Additione mutatur sanguinis accedentis proportio in qua-
libet parte, quando ibidem iam hærenti, aliamque propor-
tionem & motum intestinum definitum habenti, iungitur.
Atque hic sanguis in qualibet parte iamdum hærens, fer-
mentationemque definitam parti conuentientem iam ha-
bens, est ipsum fermentum huius partis materiale, quia
sanguinem successiue accedente, ob minimorum propor-
tionem mixtione mutatam, ad eundem motum intestinum
disponit. Hoc fit in omnibus visceribus, vbi ex sanguine
definitus humor præparari & separari debet. In hepate ita-
que, liene, renibus, testibus, & reliquis omnibus, vbi talis
mutatio contingit, sanguis ita alteratus hærens eorum fer-
mentum existit.

Rem ita se habere, ipsarum harum partium constitu-
tio diuersa a posteriori etiam ostendit, dum odor, sapor,
color diuersus & in quolibet viscere specialis se manifestat.
Hic autem a solidioribus non dependet, cum fibræ, si ab hu-
moribus penitus liberentur, nullam talem diuersitatem o-
stendant. Ergo a sanguinis diuersa mutatione prouenit,

quæ
supop.

quæ perpetua in parte tali sana permanens, eundem etiam effectum edit.

At contra circulationem sanguinis hæc esse clamitant, non enim posse in certo loco permanere fermenta vi circuitus Harueani, sed fluere debere per omnes canales corporis, fermentumque quodvis quouis loco secretionem facturum. Hoc etiam eueniret absque dubio, si & fermentum & circuitus Harueanus ita comparata essent, ut sibi imaginantur. Verum fermenti essentia consistit in motu intestino determinato & definito, hic autem prouenit & a partium ingredientium & motus progressivi definita proportione. Hac mutata fermentum mutatur, aliamque conditionem subit huic mutationi conuenientem. Respicimus hinc in quouis viscere sano, in quo præter præparationem etiam secretio fit, sanguinem egredientem alium omnino esse, quam ibidem hærentem, ob eandem secretionem coniunctam, qua partes quædam auferuntur, quod & ex observatione Consentini ante citata manifestum est. Si autem secretio hæc impediatur, tunc id euenit omnino, quod hitiment, vt vrinæ & bilis exemplum paulo ante allatum probat. Præterea motus progressius sanguinis egreditis immutatur, qui specificus & diuersus erat in parte, atque sic quoque vis fermenti perit.

Specifica enim sanguinis velocitas in parte tantum confert ad fermenti conseruationem, vt etiam de nouo, tardius licet, simile perficere valeat, si ob sanguinis vitium alteratum sit, modo sanguis in integrum restituatur. Velocitas itaque sanguinis determinata cum tantum conferat ad fermentationem specificam, vnde dependeat, inuestigare vtile est.

Arteriæ distantiam a corde, tanquam principio mouente, variam nihil in mutatione velocitatis præstare posse, ex superius adductis intelligi potest satis. Et, si quid hæc distantia efficere posset, cur in ore, ventriculo, intestinis eadem lympha separatur? cur in cutis tota superficie eadem

38 DISSERTATIO MEDICA DE ΣΤΓΚΡΙΣΕΙ ΕΤ ΔΙΑΚΡΙΣΕΙ
materia per transpirationem educitur? cum tamen mini-
me vbique æqualis a corde distantia reperiatur. Nec ma-
ioris momenti in alteranda velocitate est arteriarum flexio,
complicatio, & inde eueniens variorum angulorum & cur-
uarum formatio, quod itidem superius allatæ rationes e-
uincunt. Haud quoque est, quod existimemus, diuisio-
nes arteriarum in ramos absolute & in se velocitatem
imminuere semper, cum vel nulla vel eadem facta diui-
sione idem semper gradus, quicunque demum desidere-
tur, adesse queat, modo reliqua dicenda adsint.

Longitudo etiam arteriæ, vel vasis cuiuscunque, in
corpo in se velocitati nihil vel addit vel demit, id ta-
men præstare potest, vt eiusdem capacitatis semper per-
manens, maior si sit, diutius eandem velocitatem conser-
uet, cum in breuioribus canalibus citius desinat vel mu-
tetur ob ipsam breuitatem. Non tamen in hoc canali mu-
tatur, sed si in alium liquor vel sanguis perforatur. Ad-
ferre quidam solent, in reliquis velocitatem mutantibus
habenda esse extrema vasorum minima, quæ ob angusti-
am resisterent motui sanguinis & eo ipso ibidem tardio-
rem eum reddant. Verum nec hæc, absolute spectata, id
efficiunt, non enim eorum sola angustia, sed copia maior
vel minor ex eodem trunco prouenientium velocitatem
maiorem vel minorem facit. Si enim tanta horum ex-
tremorum, angustissimorum licet, sit copia, vt simul sum-
ta æquale spatum contineant, quam truncus, eadem ve-
locitas erit in his angustissimis, quam in ipso trunco arte-
riæ; si vero eiusdem trunci rami subtilissimi simul sumti
maius spatum efficiant, quam truncus habet, tardior mo-
tus in extremis, quam trunco occurret; sin vero trunci
extrema minima simul sumta minus spatum præbeant
sanguini quam truncus, tunc velocior sanguinis gressus
erit in extremis minimis, quam in trunco.

Nihil itaque etiam in vasibus sanguiferis velocitatem
sanguinis mutare valet, quam capacitas eorum maior vel
minor

minor variis in locis existens; atque hæc simplex vnicaque causa est, cur in visceribus diuersis definite tardata velocitas occurrat. Superius autem monuimus, idem esse, siue tubus vnicus capacitatem maiorem efficiat, siue plures simul sumti, idem enim effectus sequitur. Et visceribus hæc structura magis conueniens & necessaria est, vbi non solum velocitas imminuta & definita, sed etiam prompta & expedita secretio requiritur, quæ hoc artificio, ut eadem sanguinis quantitas per copiosissimos ramos diuidatur, contingit. Vas enim sanguiferum sanguinem aduehens in viscere plures in ramos diuiditur, quorum simul sumtorum capacitas capacitatem trunci superat, & quidem eo magis, quo tardior in eo viscere velocitas est necessaria.

Proportio huius capacitatis aliquo modo ex ipsa cuiuslibet visceris magnitudine estimari potest, si cum vase aduehente comparetur, cum euictum hodie sit, viscera hæc nihil aliud esse quam congeriem vasorum. Si que vel ex hoc fundamento comparationem inter viscera instituamus, facile apparebit, vbi maior vel minor velocitas fieri debeat. Minima sanguinis velocitas occurrit in hepate, siquidem non solum in vena portæ ob maius spatium a motu suo remittit, sed in ipso hepate ob copiosissima vasa coniunctim capacitatem insignem præbentia adhuc tardiorem gressum habet. Atque hoc motu progressu definito talis motus intestinus consurgit, vt in sanguine sufficienter dephlegmato & partim in liene præparato partes bilem constituentes a reliquis secedant & sibi vniuantur. Et ita fit σύγκρισις bilis, quæ ante fieri omnino oportuit, quam secretio poterat institui. In liene præparatio sanguinis tum superius dicta ratione, tum ob velocitatem etiam in hoc viscere imminutam, contingit, vt nempe in hepate eo promptius bilis σύγκρισις consequatur.

Maior

Maior paulo velocitas in renibus adest, tardata tamen, si sanguinem accendentem respiciamus, quæ proportionata ad serum superfluum falsumque dimitendum reperitur. Nec ignota est arteriarum spermaticarum capacitas ita immutata, ut principium gracile & angustum sit, progressus vero amplior & dilatatus, donec ramulis minimis & copiosissimis in subtilissima testium vascula recipientur. Atque sic in his quoque organis velocitas sanguinis mutatur. Haud dissimilem constitutionem reliquarum partium succis certis præparandis destinatarum inuenimus, quarum recensione vltiori iam supersedebimus, cum aliunde id satis notum sit. Id tantum adhuc animaduertere debemus, in supra dictis humoribus separandis, qui iam in massa sanguinea hærent, si immutatio quædam coniuncta fit, eam itidem a velocitate sanguinis dicto modo mutata euenire, quod ipsarum partium struetura penitus examinata ostendit.

Præparato sic humore & seorsim in sanguine & certo viscere hærente, succedit demum διάκρισις, quæ haud aliter in omnibus visceribus perficitur, ac iam retulimus. Nam hisce præmissis sufficit sola diametri varietas, quæ subtilioribus partibus συγκρίσιν transitum concedit, crassioribus seu ipsi sanguini denegat. Et, quoniam vena portæ in hepate arteriæ naturam assumit, etiam huius extremitates simili conditione & vasorum felleorum & venæ cauæ extremitatibus, hinc & vasis lymphaticis iunguntur, vt bilis lymphaque separetur per sua vasa, sanguis autem in circulum redeat. Atque sic constare satis arbitror, quomodo humorum vitalium, & ex his ortorum fiat σύγκρισις & διάκρισις. Quæ enim speciatim in singulis visceribus circa hæc adferenda occurrunt vltius, in aliud tempus reseruabimus, iam vero huius tractationis facimus finem,

SOLI DEO GLORIA.

Physiol. 263, 48